

illius mandatum non veniant omnes cæteroquin legitime vocati, poterunt venientes explicare actum, etiamsi non faciant duas tertias, imo etiamsi non interveniat major pars capituli; quia tunc convocatio superioris constituit cæteros non venientes in contumacia, et hæc illos privat facultate dandi votum. Vel non est aliquis, ad quem ex officio spectat convocatio, uti contingere potest absente vel nolente illo cuius est convocare, et uti, si quid extraordinarium pertractandum sit, obtinet pro capitulo ordinario, ad quod accedunt non intimati nec citati; et tunc etiam secundum canonistas duæ tertiae partes intervenire debent (1): alias enim non esset capitulum seu universitas; sed si duæ partes sint præsentes, tunc valet, quod major pars disponit (2): monere tamen debent aliam tertiam partem; alias ipsa tertia pars posset agere de contemptu (3). Si vero duæ partes præsentes non fuerint, actus ad aliorum instantiam non tantum est irritandus, sed ipso jure invalidus (4), nisi: 1º contrarium alicujus loci consuetudine introductum sit (5): 2º nisi instet finis termini præfixi, quia tunc minor pars conveniens debet vocare alios, qui commode vocari possunt; iisque vocatis, sive venerint sive non venerint, præsentes procedere possunt ad expediendum actum; non enim universitas jure suo privari debet ob contumacem absentiam majoris partis (6): 3º nisi in ordinario capitulo tantum solita negotia, sicut fieri solet, ordinentur et pertractentur; hæc valida sunt, etiamsi duæ tertiae partes non adfuerint; in his sibi imputare debent quicunque non venerunt.

§ 21. De numero votorum requisito ad actum capitularem.

I. Requiritur major et sanior pars votorum, prout in jure statuit lib. 1, Decretalium tit. VI de electione, cap. 42, *Quia propter: Statuimus.... ut is collatione habita eligatur, in*

(1) Ita Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 15.

(2) Ita Fagnanus in 2, p. lib. I, Decretal. de elect. c. *Quia propter*, n. 40.

(3) Fagnanus in 2 p. lib. V, Decretal. de nov. op. c. *Cum ex injunctis*, n. 49.

(4) Reiffenstuel lib. I, Decretal. tit. VI, n. 120.

(5) Engel lib. III, tit. XI, n. 3.

(6) Fagnanus loco cit. n. 48-50; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 15 et 16; Scarfantonius lib. IV, tit. II, n. 10-19, et animad. 39 et 40; Louvrex dissert. VII, n. 37-39, et dissert. XVIII, n. 30-34.

quem omnes vel major et sanior pars capituli consentit. Et lib. III, tit. XI, de his quæ fiunt a majori parte capituli cap. I: *Cum in cunctis Ecclesiis, quod pluribus et sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat observari; grave nimis est, et reprehensione dignissimum, quod per quasdam Ecclesiias pauci quandoque non tam de ratione quam de propria voluntate ad ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca praesenti decreto statuimus, ut nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit et ostensum, appell. re. prævaleat semper, et suum consequatur effectum, quod a majori et saniori parte capituli fuerit constitutum. Nec constitutionem nostram impeditat, si forte aliquis ad conservandam Ecclesiæ suæ consuetudinem se juramento dicat adstrictum: nec enim juramenta, sed potius perjuria sunt dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiæ, et sanctorum Patrum veniunt instituta. Si quis autem hujusmodi consuetudines, quæ nec ratione juvantur, nec sacris congruunt institutis, jurare præsumpscerit, donec dignam egerit pœnitentiam, a perceptione sit Dominici corporis alienus.* Item ibidem cap. III et IV (1).

Unde, exceptis casibus, de quibus § 22, non requiritur votorum unanimitas, quæ res est insolita: cum enim homines faciles sint ad discordiam, vix fieri potest, ut cuncti de capitulo ejusdem sint sensus. In omnibus capitulis ordinarie reperitur aliquis spiritus contradictionis, discrepans a judicio et voluntate cæterorum. Quinimo non valet statutum vel consuetudo, vi cujus nisi omnes consentiant, actus sit invalidus, quia tale quid damnosum est ecclesiæ, cum impediret facultatem statuendi quæ justa et utilia sunt, et sic multæ res infectæ remanerent (2).

Quod autem major pars capituli facit, totum capitulum facere censetur, ita ut major pars regulariter secum trahat minorem partem, etiam nolentem (3).

II. Pars major dicitur respectu numeri, et pars sanior respectu capacitatibus et auctoritatis.

Pars major est, quæ obtinet plura vota ex omnibus capitularibus præsentibus, qui vocem habent.

(1) Acta S. Sedis, vol. XIV, fol. 371.

(2) Scarfantonius lib. IV, tit. V, n. 21-24; Pirhinc lib. III, tit. XI, n. V, *not. quarto*.

(3) Engel, lib. III, tit. XI, n. 8.

Pars major igitur consideratur respectu totius capituli præsentis, non autem respectu partium minorum, v. g. si adsint quindecim canonici, ad partem maiorem ex iis requiruntur octo vota : si autem vota ita dividantur, ut ex quindecim unus obtineat septem, secundus quinque, et tertius tria; non habetur pars major seu majoritas absoluta, quia, licet septem sint major pars respectu quinque et trium votorum, non est tamen major pars respective ad quindecim (1).

Major tamen pars constituitur per unum votum ultra dimidium, v. g. si duodecim sint capitulares, septem efficiunt partem maiorem : imo sufficit quicunque excessus ultra medietatem, etiam unius medii voti; ita ut, si adsint tredecim, septem etiam vota sufficient ad majoritatem.

III. Sanior pars capituli dicitur, quæ est justior, et majori ratione nititur et auctoritate, sive quæ constat viris dignitate, ætate, doctrina, prudentia et pietate magis conspicuis (2). Talia quatuor sunt, quæ vocem unius capitularis quam alterius, reddunt potentiores, videlicet 1º major auctoritas, ut si canonicus esset etiam Episcopus; 2º dignitas et caput capituli; 3º aetas canonici, ob ejus experientiam, quæ est legitima veritatis probatio et efficax rerum magistra; 4º major doctrina, quæ facit vocem canonici saniorem et magis æstimandam, quam cæterorum, qui tali doctrina prædicti non sunt (3).

IV. Ad validitatem actus capitularis non sufficit, quod major pars capituli aliquid decernat, nisi illa etiam sit sanior : nec econtra sufficit, quod sanior pars aliquid decernat, nisi etiam sit major : sed necesse est, ut actus capitularis simul a majori et saniori parte capituli sit gestus. Ita communis, et patet ex textibus juris supra allatis, ubi ad validitatem actus capitularis copulative requiritur major et sanior pars capituli (4).

V. In resolvendis negotiis vel decernendis rebus capitularibus voces aliquando porriguntur per secreta, et aliquando per aperta suffragia. Quando autem porriguntur secreto, nullatenus consideratur pars sanior, sed dumtaxat attenditur major vel minor suffragiorum numerus : ita ut tantum valeat votum ultimi canonici,

(1) Engel, lib. III, tit. XI, n. 9; Bouix p. 1, sect. IV, cap. 1, § II; Lucius Ferraris *Capitulum*, art. I, n. 53. S. C. C. 22 Aug. 1885 et 8 Maii 1888 ap. Acta S. Sedis vol. XVIII, fol. 449 seqq. et vol. XIX, fol. 68.

(2) Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 20.

(3) Scarfantonius lib. IV, tit. V, n. 31-34.

(4) Ita Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 21.

quam primæ dignitatis aut Episcopi canonici. Ratio evidens est, quia, dum vota secrete dantur, dignosci non potest, quis contulerit affirmativum vel negativum. Quod si nonnulli affirmarent, se votum tulisse pro vel contra, nihil juvaret, quia testibus singularibus ex suo dicto non creditur (1).

Dum autem vota proferuntur palam, seu viva voce, et quisque aperte suum dicit sensum, tunc copulative consideratur major et sanior pars, ut supra dicitur (2).

VI. Major tamen pars censemur etiam sanior : ita ut hodie cum non amplius inquiratur, neque attendatur, quænam suffragiorum pars sit sanior, sed major numerus et major pars capituli etiam sanior præsumatur, nisi manifeste appareat, aut coram superiori probetur, partem majorem corruptam fuisse, aut aliud quid rationabile a minori parte contra majorem objiciatur (3).

VII. Requiritur igitur pars major, et hoc solummodo valet, quod ipsa disponit. Quapropter decisio per minorem partem capituli facta, non tenet, et omni jure invalida est ob defectum legitimæ potestatis. Quinimo quod minor pars disponit, nec per subsequentem aliorum consensum ratificari potest, cum ex post facto nequeat convalescere, quod ab initio non valebat, ut dicitur lib. I. Decretalium tit. VI, c. XXIX *Auditis* (4).

Hoc tamen intelligendum est, dummodo major pars non sit privata voce activa propter delictum, puta ob electionem indigni scienter factam : quia tunc potestas totius capituli resideret in non delinquentibus, licet numero paucioribus, atque isti repræsentarent capitulum, sicque etiam capitulariter quid statuere valerent : ita ut in hoc casu valida foret electio digni, a minori parte capituli facta (5).

Minor etiam pars rationabiliter contradicere potest juxta lib. III Decretalium tit. XI, c. I, *Cum in cunctis : Statuimus, ut nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit et ostensum, prævaleat semper et suum consequatur effectum, quod a majori et saniori parte capituli fuerit consti-*

(1) Scarfantonius lib. IV, tit. V, n. 78-83.

(2) Scarfantonius ibidem n. 30.

(3) Louvrex dissert. VII, n. 31; Leurenus, Forum eccles. I. III, tit. XI, q. 131, apud Bouix de capit. p. 1, sect. IV, c. I, § 3; De Angelis lib. III, tit. XI, n. 5; Barbosa de canon. c. XXXVIII, n. 8.

(4) Piphinc lib. I, tit. VI, n. 191, not. 2 et 3.

(5) Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 22 et 27.

tutum. Minor igitur pars contradicere potest, ea tamen conditione, ut coram superiori capituli probet id quod objicit; non enim contradicere sufficit, nisi fuerit probatum seu ostensum, ut dicitur in textu.

Quamvis igitur, cum capitulum plenum jus suffragii obtinuerit, uni canonico nullo modo irrationabiliter contradicere vel dissentire liceat, et uti illegitimus contradictor audiendus non sit; minor tamen pars, et etiam unicus canonicus rationabiliter potest contradicere, impedire seu irritare decretum majoris partis, et si non audiatur, ad legitimum superiorem appellare (1).

Qui appellat, intra decem dies appellare debet, sicut decernitur Sexti Decretalium lib. II, tit. XV, c. VIII, *Concertationi*: « Statuimus, ubi ab electionibus, postulationibus, provisionibus, et quibuslibet extrajudicialibus actibus (in quibus potest appellatio interponi) quisquis ex eis gravatum se reputans, per appellacionis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, intra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellat: post decendit vero eidem aditus non pateat appellandi. Sed si per contradictionem debitam, vel alia juris remedia petierit revocari gravamen: ei (dummodo medio tempore his non consenserit) lapsus descendii non obsistat (2). »

Non igitur opus est, ut contradicens appelle, sed satis est contradicere, querelam ad superiorem deferre, et petere, ut retractetur quod a majori parte capituli irrationabiliter decretum est: cum enim capitulum non procedat judicialiter, sed extrajudicialiter tantum, ideo ejus decretum non transit in rem judicatam (3). Expedit tamen parti minori contradictenti, ut appelle, sive ad superiorem provocet; quia talis provocatio praeter alias effectus etiam hoc operatur, ut prælatus inferior eo, ad quem est appellatum, se immiscere, seu de causa cognoscere non possit, si ad superiorem illius provocatum sit. Si autem a contradictente appellatum non sit, tunc capitulum, si quidem et quatenus jurisdictionem habet in singulos capitulares, vel superior immediatus ejusdem potest compellere contradictentem, ut obediatur decreto seu ordinationi factæ a majori parte; cum pro illa stet præsumptio æQUITATIS, tanquam facta communi aut plurium consensu (4).

(1) Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 24; Engel lib. III, Decretal. tit. XI, n. 10; Pirhinc lib. III, tit. XI, n. IV et V; Krimer lib. III, n. 905.

(2) Vid. § 9, in fine.

(3) Pirhinc lib. III, tit. XI, n. IV; Louvrex dissert. XVIII, n. 27.

(4) Ita Pirhinc lib. III, tit. XI, n. IV.

VIII. Notandum est, cum supra dictum est, majorem votorum partem respectu capituli præsentis sufficere et requiri ad actum capitularem, hoc intelligendum esse per se et de jure. In nonnullis enim ecclesiis ex statuto seu speciali constitutione aut ex consuetudine requiruntur duæ partes ex tribus, id est octo ex duodecim (1); quam consuetudinem alii admittunt, et alii rejiciunt (2).

Item in aliis ecclesiis ex consuetudine sufficit pars major votorum respectu partium minorum, etiamsi non sit pars major respectu capituli præsentis. E. g. si ex duodecim canonicis quinque in unum consentiant, quatuor in alterum, et tres in alium; quinque vota constituant majorem partem respectu duarum aliarum partium, licet non respectu capituli, cuius septem vota tantum partem majorem efficiunt. Juxta Zypœum (3) in collegiis passim usus obtinuit, ut quod major numerus, non quidem respectu totius, sed minoris partis decreverit, ratum sit, et plenum habeat vigorem; et certe planior est intellectus, si comparatio partium inter se fiat. Item Acta sanctæ Sedis (4) notant, quamvis electio ita confecta, ut ille inter plures electus habeatur, qui majora suffragia ostendere præ cæteris possit, in quibusdam casibus non æqua videatur: tamen existente aliquo statuto aut legitima consuetudine, quæ id firmat, talem electionem rite subsistere. Attamen ut observat Ceccoperius (5) de jure certe non est ratum, neque firmum, quod major numerus, non respectu totius sed respectu minoris partis statuerit. Et licet per consuetudinem introduci possit, quod decisio capitularis per majorem partem votorum respectu partium minorum conclusa subsistat; oportet tamen, ut consuetudo vere subsistat, plene probetur, eaque non extendatur de casu ad casum, nec de loco ad locum (6).

IX. Præterea inquirit Louvrex (7) an capitulares etiam convenire possint, ut quod a majore parte respectu partium minorum factum fuerit, ratum ab omnibus habeatur; et resolvit, ipsos hoc posse, modo omnes tali conventioni consentiant, ut § seq. dicetur: quia tunc consensus totius capituli influit in electionem seu actum

(1) Krimer lib. III, n. 903.

(2) Scarfantonius lib. IV, tit. V, n. 4-9.

(3) Juris Pontif. nov. lib. III, De his quæ fiunt a maj. parte cap.

(4) Vol. III, 1867, fol. 238, IV.

(5) Lib. IV, tit. V, n. 11-16.

(6) Louvrex dissert. VII, n. 13-18; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 28.

(7) Dissert. VII, n. 18 et 24.

a majori parte respectu minorum factum; dicitur actus a toto capitulo factus, quatenus quisque tacite accedere censemur actui per majorem partem respectu minorum positio.

§ 22. In quibus casibus requiritur omnium consensus.

I. Etsi generaliter sufficiat et requiratur consensus majoris partis, ut § 21 dictum est, quandoque tamen omnium consensus requiritur. Sic regula juris XXIX in Sexto est: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Hæc tamen regula universaliter intelligi et applicari nequit: resolutio enim capituli, quæ tangit capitulares universos, edita a majori parte, afficit omnes, et legitima est (1).

Unde pro recta præfatæ regulæ applicatione advertendum est, quod hæc intelligenda sit sub hac distinctione: aut actus capitularis tangit omnes, sive competit omnibus, non ut collegialibus, sed tanquam singulis; et in tali casu omnes consentire debent, etsi capitulo non interveniant, ita ut præsentium consensus absentibus præjudicare nequeat: aut agitur de actu ad collegium pertinente et ab eodem faciendo; et in hoc casu actus per præsentes expletus sustinetur, licet aliqui non adfuerint, nec consenserint (2).

II. Itaque omnium consensus requiritur: 1º ad conventionem, qua capitulares consentiunt, ratum haberi, quod a majori parte capituli respectu partium minorum factum fuerit, quia tunc omnes juri suo cedunt, et nemo cogendus est, ut invitus juri suo renuntiet (3).

2º Ad compromissum, quo uni alterive committitur facultas, personam idoneam eligendi, eadem ratione ac in præcedente (4).

3º Ad actum mere voluntarium, muneri canonicali non inhærentem, nec ad ecclesiæ servitium stricte requisitum, præsertim si novi oneris, ab institutione alieni, impositionem secum ferat (5).

4º Ad gratiam alicui faciendam, ad admittendum extraneum ad

(1) S. C. C. 17 Sept. 1796, § 4, *Assis.* apud Zamboni tom. IV, *Capitulum* § X.

(2) Ita Scarfantonius lib. IV, tit. II, animad. 14-16; Louvrex dissert. 18, n. 16; Barbosa de canon. cap. XXXVIII, n. 13; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 55.

(3) Louvrex dissert. VII, n. 25-28.

(4) Scarfantonius lib. IV, tit. II, animad. 7.

(5) Scarfantonius lib. IV, tit. II, animadv. 5-6; *Analecta juris Pontif.* sér. 5, 1861, fol. 494; Pallottini, *Capitulum* § III, n. 12.

sessionem et votum in capitulo, ad contributionem faciendam proprio aliquo opere (1).

5º Quando major pars vellet renuntiare alicui privilegio seu exemptioni, vel aliquid agere contra constitutiones et laudabiles consuetudines, unde magnum ecclesiæ vel capitulo præjudicium sequeretur: nam in hoc casu pars minor, si non consentiat, justam habet causam contradicendi; et impedire potest, ne actus fiant, et lœdantur jura et privilegia ac laudabiles capitulo consuetudines (2).

Notandum autem est, hæc intelligenda esse, quatenus minor pars sive illi qui dissentient, reclament, et sese opponant, ac prosequantur oppositionem et contradictionem: nam si acquiescant, censentur actum approbare, quum idem sit expresse, ac tacite acquiescendo approbare (3).

III. Ast queritur, an major pars capitulo aliquid decernere possit in præjudicium partis minoris et singulorum? Videndum est, an id de quo agitur, sit in bonis ipsius collegii seu universitatis, vel econtra in bonis singulorum. Si primum, valet decretum majoris partis, contradicente etiam parte minore, quia universitas per medium majoritatis censemur disponere de bonis suis. At si agatur de bonis singulorum, vel de singulorum iuribus, tunc majoritas minoritati, et singulis de minoritate præjudicium generare nequit; et ubi est interesse singulorum, debet esse singulorum placitum juxta regulam juris, *quod omnes tangit, ab omnibus probari debet* (4).

Ad administrationem communium bonorum capitulo, consensus omnium non requiritur, sed major pars prævalet, quia in his canonici procedunt ut membra capitulo, non autem ut singuli (5).

Expensæ si faciendæ sint v. g. pro litibus necessariis, commune interesse capitulo respicientibus, detrahendæ sunt ex massa communis (6). Si autem capitulo bona communia non possideat, tunc major pars omnes et singulos obligare potest ad contribuendum pro rata fructuum in casu necessitatis vel etiam magnæ utilitatis (7).

(1) S. R. C. 23 Maij 1835, *Verutana*; Louvrex dissert. XXVIII, n. 21 et 22; Scarfantonius lib. IV, tit. II, animad. 7.

(2) Scarfantonius loco cit. n. 8.

(3) Scarfantonius lib. IV, tit. II, animadv. 9-11.

(4) Ita De Angelis, *Prælect. juris Can.* lib. III, tit. XI, n. 6.

(5) Louvrex dissert. XVIII, n. 20-24.

(6) Scarfantonius lib. IV, tit. XIII, animadv. 1.

(7) Scarfantonius loco cit. n. 12 et animadv. 2.